

jure utebantur. Par usurpabant jus in suos Reges Judæorum, quemadmodum ex historia gentis intelligimus; quare vix est ut nobis persuadeamus, tantam fuisse Judicibus inferioribus auctoritatem, ut Reges illos tanquam vulgares à populo cederent. Credant hæc qui Rabbinorum sententiis & studio delectantur. Sed hæc omnia ad flagra tantum illa referenda sunt, quæ legalibus quibusdam criminibus expiandis in Synagogis imponebantur, non ad publicum à Judicibus inflicium prodicium supplicium.

Planè Jesus Christus, imminenti sibi & Discipulis suis mala prænuncians, aliam nobis de flagris ideam ingerit; illud enim ignominia, & dolore plenum supplicium nunquam non exaggerat; ac de passione sua loquutus potissimum semper loco flagella commemorat (f). Nec S. Paulus supplicium illud omittit, cum mala recenset pro Christo tolerata (g); & Philo satis ejus ignominiam insinuat, cum foedissimè habitos à Flacco Judæos Alexandrinos describit (h). Flagris, inquit, casti sunt, quod supplicii genus ingenue homini par morti reputatur. Cum Antonius casum Antigonum Regem Judæorum, palo dein alligatum capite detruncasset, rem egisse impotentem homine dignam habitus est; quippe quoddam supplicio hominem subdidisset, nunquam in Reges Romanis moribus usurpato (i).

In superioribus jam observavimus Doctores Judæos flagellis omnia ea crimina subjecisse, quæ exterminii poenâ in Lege damnantur; qua in re quadam nobis animadvertenda sunt. Tria exterminii genera distinguenda; primum ex Rabbinorum doctrinâ ipsissimum est flagrorum supplicium, Judicium sententiâ latum in eos, qui crimina inferius recensenda commiserunt; alterum poena est occulta à Deo immissa in eos, quos criminibus alioqui exterminio dignis reos, Judices tamen damnare non possent; tertium tandem ipsa est excommunicatio.

POENA EXTERMINII.

Quæ exterminio plectenda subiciebantur crimina, 36. recensita sunt; quorum 15. priora in Levitici cap. 18. [1] ubi & de coitu incesto sermo, enumerantur; cetera verò hic damus. Sunt igitur; 1. Magos consulere (m). 2. extra castra vel Tabernaculum lacris operari. (n). 3. Victimam in limine Tabernaculi non sistere [o]. 4. Oleum Sanctum (p), vel saltem thymiamâ (q) prophanis usibus parare. 5. Oleum chrismatis effundere. 7. Diem Sabbati feriatam ab operibus non agere (r). 8. Pollutium à sacris comedendis non abstinere [s]. 9. In Templum ingredi pollutos (t). 10. Adipem degustare (u). 11. Sicut & sanguinem (x). 12. Triduo ab oblato sacrificio ejus reliquias in cibum assumere (y). 13. Victimarum carnem extra locum sacrificii degustare [z]. 14. Fermentato pane Festo Paschalis perseverante uti (a). 15. Jejunium Expiationis solem-

Matth. 20. 19. Marc. 10. 34. Luc. 18. 32. g. 2. Corinib. 11. 24. h. In Flacc. & de Spec. Leg.

1. Dis. 1. 49. Vide Joseph. de bell. Jud. l. 3. c. 13.

1. Vide Seld. l. 2. c. 7. de Synedr. Vet. Hebr. m. Levit. 20. 6. n. Levit. 17. 4. o. Levit. 17. 9. p. Exod. 30. 33. q. Exod. 30. 38. r. Exod. 31. 14. s. Levit. 7. 20. t. Num. 19. 13. u. Levit. 7. 25. x. Ibid. 27. c. 17. 10. y. Levit. 19. 6. z. Levit. 7. 18. a. Exod. 12. 15.

nis negligere (b); 16. eandemque diem feriatam non agere (c). 17. Fenum Paschatis non observare (d). 18. Circumcisione non initiari (e). 19. Blasphemia (f). 20. Idololatria (g). 21. Filios offerre Moloc (h). In hæc omnia exterminii supplicium decretum est.

Quæ jam ledit nonnullis Interpretibus, sententiam de cæca & districta animadversione Dei in fontes exterminio damnatos, alibi in examen revocavimus, videlicet in Exod. 12. 15. Agendum est modò de supplicio Judicium sententiâ decreto in eos, qui eorundem criminum rei accusabantur. Nequid autem Rabbinorum sententias moremur; illud sane constituendum arbitramur, gravitate criminum eo supplicio plectendorum, tum & pronâ ac literali Textus interpretatione inspectâ, nihilo cum illis mitius adum fuisse, quam ut capitali aliquo supplicio exterminarentur.

Namque Sabbati violationem, blasphemiam, oblationem filiorum in sacrificio Moloc &c. crimina fuisse capitalia lato in Lege edicto dubitaverit nemo. Hæc autem exterminio simul in Lege damnari compertum est, quod argumento est apertissimo, exterminii poenam cum supplicio capitali omnino confundi. Annè facile nobis persuaserimus, adulterii commissi, coitus cum foemina menstruata; consultorum Magorum crimine reos, quemadmodum & filium in patrem immorigerum capite damnari; eoque ad flagra verò tantum, qui per superbiam aliquid commiserint; quoniam adversus Dominum rebelles fuerint, verbum Domini contempserint, & præceptum Domini irritum fecerint (k)? Constat enim nullam in eos aliam quam exterminii poenam in Lege præscribi: Idcirco debetur, & portabit iniquitatem suam. Tantumque verborum strepitus, tantus minarum terror damando ad flagra homini, nempe ad supplicium mitissimum, atque omnium honestissimum totus impeditur? Cum sanè Scriptura sive excidium Chanæorum describit (l), sive familia Jeroboami, in poenam inducti in Israel criminis [m], dispersionem; sive deletam memoriam impiorum, ut nupiam, qua latè patet Terrarum orbis, vestigium superesset (n); sive Divinam in gentes impias ultionem, quam Altissimus jurato decreverat (o); sive tandem divortium, quo Deus populum pervicacem; beneficiorum parum memorem & infidelem, à suo demum confortio precipitavit [p]: dum, in quam, hæc omnia Scriptura prosequitur, iisdem semper phrasibus, quibus in damnando ad excidium hominem, utitur. Divortium, exitium, abolitio, everfio, mors, æquè omnia hæc Scripturæ phrasibus exprimuntur. Exterminabitur de medio Israel

DE EXCOMMUNICATIONE ET CENSURIS.

Fallis ego quidem concesserim, non omnia æquè exterminii poenâ interdicta crimina capitali supplicio damnata fuisse. Quid.

b Levit. 22. 29. c Levit. 23. 30. d Num. 19. 13. e Gen. 17. 14. f Num. 15. 30. 31. g Ibid. h Levit. 18. 21.

k Num. 15. 31.

l Deut. 12. 29. m 3. Reg. 14. 10.

n Ps. 33. 17. & 36. 9. 28. &c. o Ezec. 25. 7. Jerem. 48. 2.

p Isai. 30. 1. Jerem. 3. 8.

Quidquid autem reclamant Rabbinii, obtinuisse tamen apud veteres Hebræos excommunicationis poenam ne ambigimus quidem. Esdras cœtu populû prohibuit eos, qui ductas alienigenas foeminas remittere pervicaciter recularunt (q). Scriptor quidam Caraita apud Seldenum (r) tradit, ejus poenâ infligendam morem exinde obtinuisse, cum jure animadvertendi in reos Hebræi sub Infidelium Regno multati sunt. Balsnagius in ea est sententiâ, Sanhedrium à Macchabæis constitutum, jus sibi in cognoscendis causis Ecclesiasticis, reisque puniendis vindicasse. Tunc enim mixtos cum Paganis Judæos ne pravâ contagione vitari unquam contingeret, eâ qua valebant autoritate frequentius sibi utendum Sanhedrini Patres censuerunt. Erat igitur aliquis excommunicationis usus etiam ante Macchabæorum ætatem. Quæ si vera sint, non inaniter suspicamur aliquam planè obtinuisse infligendi anathematis disciplinam apud veteres Hebræos; cum enim iisdem ac Esdras Legibus uterentur, eodem etiam Legis remedio frequentibus Legum transgressionibus mederi illos par erat. Eadem obtinere semper lex creditur, si nulla obtendi possit contra illam prævalens consuetudo.

Obtinuisse etiam excommunicationem. Jesu Christi ætate ex eo potissimum deducimus, quòd ipse Jesus pellendus à Synagoga Apostolos, flagrisque damnandos prædicat [s]. Essenii, ait Josephus, si quem in crimine deprehenderint, statim à cœtu segregant; expulsam autem infelici letho interisse contigit (t). Cum enim votorum, & Sacramentorum Religione à capiendi ab exteris cibo deterreantur, nec quidquam cum suis retinere commercii possint, herbis viciantur belluino more coguntur, quoadusque corrupto corpore, fluentibusque membris dissolvantur. Accidit verò quandoque, ut Essenii rei miseratione commoti, in cœtum iterum ejectionem recipiant; rati satis esse supplicii, si ad id malorum redactos se noxii reminiscantur.

Sed Rabbinorum de excommunicatione sententiâ altera planè est ab ea, quæ de Essenii fertur. Si enim Doctores illos audiamus, excommunicati obtento prius jure omni multantur, eo scilicet quo tamquam ejusdem cœtus, & communionis membra fruebantur [u]. Poena est autem sive in sacris, sive in communibus, sive in utrisque versans, jure humano imposita, sive puniendo vero, sive tantum in speciem crimine; spe semper relicta, ut in pristinum Excommunicatus restituatur.

Duplex erat hujus poenæ genus apud Hebræos: alteram majorem, alteram minorem excommunicationem appellabant. Prima à cœtu hominum Ecclesiam constituentium segregabat: altera à parte tantum ejusdem cœtus, ab ea scilicet, quæ Synagogam constituebat, ut propius illi assidere, quam per quatuor cubitus, cæteris omnibus, exceptis Uxore & filiis, nefas haberetur. Nefas etiam excommunicatum in decem viros rebus agendis destinatos, seligere, membrum enim habere. Disert. Calmet. Tom. I.

batur inutile, quocum nihil poterat haberi commune, non cibus, non potus.

Excommunicationis causæ 24. assignantur. 1. De viro docto, vel Magistro post ejus obitum minus honorificè loqui. 2. Justitiæ publicum administrum indignus verbis habere. 3. Ingenuum hominem mancipium appellare. 4. In jure dicundo erratum aliquod committere. 5. Temnere præceptum doctrinæ Scribarum, sive Legis. 6. Judicium sententiâ non acquiescere. 7. Tenere apud se noxium aliquod, veluti rabidum aliquem canem. 8. Agrum Pagano vendere, non repensato damno, quod alteri ex ea re provenisset. 9. In Israelitam coram Gentili testimonium dicere, quo scilicet Israelita cogatur ad multam præter Israelis consuetudinem solvendam. 10. Sacerdos immolans, non segregatâ prius debitâ cæteris Sacerdotibus portione. 11. Festam diem inferioris ordinis in captivitate violare, obrinente etiam violandi consuetudine. 12. Si quis Paschales ferias post meridiem præcedentis diei non iniverit. 13. Dei nomen elatâ voce, sive hyperbolicè, sive incautè, sive jurejurando pronuntiare. 14. Occasionem prophanandi Divini nominis populo præbere. 15. Sanctas dapes extra locum sanctum ut comedat, populo auctorem esse. 16. Servare & supputare menses annosque extra Terram Sanctam, aliter ac in illa olim solet. 17. Lapidem offendicali cæco opponere. 18. Populum ab observatione alicujus præcepti detertere. 19. Sacrificia offerre post permissam oblationem animalis à bestia capiti, vel dilaniati. 20. Sacrificia macrare ante captum experimentum gladii sui coram viro perito. 21. Rebus necessariis addendis non omnem mentis intentionem contulisse. 22. Cum foemina repudiata coire, & ansam præbere scissi antea conjugii judiciali sententiâ redintegrandi. 23. Sapiens, in quem invidia fuerit creata. 24. Excommunicationis sententiâ aliquem immeritò inussisse.

Excommunicationem præcedit censura (x), qua secretò primùm noxius corripitur; si pervicacius in crimine hæserit, continuo Domus judicii, nempe cœtus Judicum altè intonat, ut tandem respiscat. Tum per quatuor Sabbata censura in publicum edicitur, nomine & crimine rei proclamato, quòd scilicet ad saniora consilia publica ignominia horrore revocetur. Tandem immorigeri, & refractarii excommunicatione plectuntur. Morem hunc spectasse Jesum Christum, cum post monitum privatum & seorsum fratrem, corripit juret coram testibus, ac deinde ad Ecclesiam rem totam referre: si tandem frustra hæc omnia fieri contingat, tunc, ait Jesus, habeatur tanquam Ethnicus, & Publicanus.

Excommunicationis sententiâ hac vel simili formulâ pronuntiabatur: Iste sit in separatione, sive in excommunicatione, vel sit separatus. Ferebatur autem sive in vigilia, sive in somno; nec à Judicibus tantum, sive à cœtu, quin etiam à singulis, privatique personis, dummodò quædam suppeteret ex causis supra deductis, reusque R. 2. præ-

x Balsnag. Hist. des Juifs. l. 5. chap. 18.

q. 1. Esdr. 10. 3.

r. De Synedr.

s. Matth. 10. 17. Joan. 9. 22. & 16. 11. Luc. 6. 22. t. De bell. l. 2. c. 12.

u. Vide Selden. l. 1. c. 7. de Synedr.

praviã admonitione ad mentem non fuerit revocatus. Ceterum domui Judicii, siue confessi. Justitiã solemnem excommunicationis sententia reservari solebat.

Privatus privatum aliquem excommunicabat, quin etiam, quod mirari subit, ipse in se eandem proferre poterat sententiam. Ita in Actis (y), & apud Esdram (z) legimus, viros quosdam excommunicationis se religione obligasse, alii ut Legem Dei servarent, alii vero ut Paulum quacumque demum ratione siue vivum siue mortuum apprehenderent. Nec bruta ipsa ab excommunicatione exempta; cum vel in ipsos canes valere illam præclarè Hebræorum Doctores singularem doctrinã edoserent.

Excommunicatio somno correptum hominem afficiens, tunc potissimum contrahatur, cum homo per quietem, siue Judicem, siue privatum aliquem juridicam in se excommunicationis sententiam proferre videre sibi videbatur. Tunc enim somnium ita habebant, quasi si veri rem habuisset; potuit enim, dicebant, Deus, siue aliquis ex Dei ministris, eo jubente, veram excommunicationis pronuntiasse sententiam; quare iidem se pœnis subiectos credebant, quas excommunicatione in vigilantes latã subiissent. Ita si minor lata fuisset excommunicatio, nec intra mensem solveretur, ad alterius mensis spatium continuè prorogabatur; quo exacto, si solvi se à vinculo negligenter, altera continuè succedebat major excommunicatio interdictio penitus cum ceteris omnibus commercio. Tunc addiscendæ scientiã, siue docendã incumbere, conductori aliquid locare, vel conductum jam in conductione relinquere nefas; tandem ad eas angustias adducebatur, in quas olim apud veteres Romanos illi, quibus ignis, & aqua interdicta erant. Cibum à certis tantum hominibus, paucis illis & raris, capere concessum, quia & ii, quibus commercium aliquod cum excommunicato esset, iidem & illi pœnis, vel eadem excommunicatione juxta sententiam Judicum obolvebantur. Interdum in eo excommunicationis genere, quod Cherem appellabant, de quo infra, bona omnia noxii sisco addicta, in usus sacros convertebantur. Si fato occumbere interim excommunicatum contigisset, funera illius lugere nefas, locusque sepulcrurã siue insigni aliquo lapide, siue lapidum acervo, pro Judicum arbitrio, notabatur.

Sunt qui tria excommunicationis genera tribus istis nominibus designata distinguant (a); Nidui, Cherem, Schammata. Primum minoris excommunicationis nomen erat, alterum majoris, tertium maxima, quam & mortis pœna, & absolutionis omnis aditus præclusus, uti quidem ferunt, consequebatur. Excommunicatio Nidui 30. dierum spatio finitur; Cherem aggravat priorem, hominẽ à Synagoga, & omni civili consortio interdicto. Tandem Schammata 400. buccinarum clangore promulgatur, ipemque omnem regressus in Synagoga præcludit.

y Act. 23. 12.  
z 2. Esdr. 10.  
29.

a Vide Bartoloc. Bibl. Rabb. 13. pag. 414.

Seldeni tamen sententiã tria ista nomina unam eandemque pœnam non raro significant; neque si vera fateri voluerimus, ultra duo excommunicationum genera apud Hebræos obtinuisse compertum est; quanquam enim voces segregationis, excommunicationis, & anathematis in Libris Legis occurrunt, non ita tamen de singulis constituendum est, quasi scilicet peculiarem judicii rationem singula inferant, siue ante Legem, siue post Legem juxta Moysi præscriptum servatam.

Totum excommunicationis ritum, & jus deducunt Rabbinæ ex maledictio, quod Debora, & Barac in Meroz (virum fuisse credunt, Israelitis opem ferre recusantem) (b) pronuntiarunt. Maledicite Meroz, dixit Angelus Domini, maledicite habitatoribus ejus, quia non venerunt ad auxilium Domini in adiutorium fortissimorum ejus. Nihil hic, si Hebræos audiamus (c), omisissum, quod ad excommunicationem pertinet. 1. Maledicta in excommunicatos, 2. Assidentes propitiis quàm per 4. cubitorum spatium maledictis devoventur. 3. Crimen in publicum edicitur, illud nempe, quod Meroz in auxilium Domini non venisset. 4. Buccinarum clangore sententia edicitur, quasi scilicet Barac maledictum pronuntians 400. buccinis insonasset.

Fateri tamen oportet, excommunicationem, qualem descripsimus, multo posteriorem esse Barac ætate, ut ejus epocha vix longius protrahenda quàm tempus captivitatis videatur. Altum est enim de illa silentium sub priori Templo, & ante Samaritanos, non nisi post translata decem Tribus in Judæam traductos. Prima ejus vestigia sub Esdra tantum & Nehemia (d) apparent.

Quod ad excommunicationis absolutionem spectat, quicumque sententiam in alium pronuntiasse, illis integrum erat respicientem & non obscura poenitudinis suã argumenta exhibentem absolvere. Eodem sæpè tempore anathema infligebatur, inflictumque simul remittebatur. Si forte præsentem quis damnasset, præsentem etiam restituere jubebatur. Quicumque privati sententiam subierat, dummodo non propter traductum Discipulum viri Sapientis, ipse ad arbitrium, tribus viris selectis, siue uno ex Judicibus publicis adhibito, absolutionem sibi poterat expostulare. Suã ipse sententiã damnatus expedire se non poterat, nisi si forte Sapientem aliquem haberet præceptorem, vel scientiã aliquã ipse emineret, sed decem selectos è medio populi viros adire tenebatur. Excommunicatus per quietem, eã quã supra attigimus ratione, non planã quidem absolutionis formulã expediebatur. Decem enim quærendi illi erant viri in Legis, & Talmudis scientiã doctissimi, qui si forte in loco deessent, intra ambitum quatuor miliarium indagandi erant; eorumque defectum, si nusquam extarent, supplebant totidem viri Pentateuchum saltem legere docti; sin minus decem viri ejus doctrinã occurrerent, quicumque tandem essent, decem, alii, vel ad minus in summa penuria tres adsciscendi.

b Vide Judic. 5. 23.

c Gemar. Babyl. ad tit. Moed katon. c. 3.

d Vide 1. Esdr. 10. 8. & 3. Esdr. 2. 9. & Antiq. l. 11. cap. 5. & 2. Esdr. 10. 29. & 13. 25. 28.

Qui

Qui injuriã alteri illatã pœnã excommunicationem subiisset, ille neque absolutionis beneficium à læso impetrare, neque ab ullo quocumque coetu, ipso læso non assentiente, quandiu idem in vivis erat, potestatem habebat. Eo defuncto, integrum erat excommunicato siue à tribus selectis viris, siue à Principe Sanhedrii absolutionem postulare; quemadmodum & eidem Principi Sanhedrii jus datum in Virum ab ignoto aliquo excommunicatione inustum.

Plura sunt in absolutione servanda, levia prorsus & futilia quæ molestè satis referentur; sed & majora nos retulisse poenitet, quàm quæ æquus Lector patiatur: commenta sunt enim, non disciplinã usu olim receptã historia.

Festa celebrare excommunicato integrum erat, quemadmodum jus illi siue ingrediendi in Templum, siue in cæteras Religionis ceremonias, ut neque à conviviis in Templo occasione solemnibus alicujus Festi celebratis, excluderentur. Additur tamen in Talmud, excommunicatos à sinistro latere in Templum ingredi, à dextro egressi consuevisse, cum ceteri contraria omnia servarent.

Tota Rabbinorum jurisprudentia, quanta quanta est, nihil apud nos majorem fidem obtinet, quàm illa merentur, quæ retulimus. Nihil non in ea incertum, nihil vetustati & pristinis Hebræorum moribus satis consonum. Cavillosa plura & levia, raris quibusdam veris historiis admixta, quibus accedunt nova aliqua, post Sanhedrium constitutum, inventa.

SUPPLICIUM GLADII.

DE hoc supplicii genere, utpotè frequentissimo, nihil est cur in præsentiarum dicamus. Caput ense, siue securi præcidebatur; securis quàm gladius apud Romanos (\*) nobilior. Apud Hebræos tamen nullum servatum discrimen novimus. Insigne hujus supplicii exemplum præbent 70. filii Gedeonis jussu Abimelechi super eundem lapidem obruncati (f), & totidem filii Achab, quorum præcisã Samaritæ capta canistris imposita ad Jehu transfusa sunt (g).

\* Vide Gallon. de cruc. Mart. 17. c. ult.

f Jud. 9. 11.

g 4. Reg. 10. 7.

SUPPLICIUM IGNIS.

ANTÈ latam Hebræis Legem ignis supplicium apud eas gentes obtinuisse ex eo deducimus, quod Judas nurum suam prægnantem intelligens, voluit tanquam in adulterio deprehensam igne damnare. Quid autem in eo inferendo supplicio potissimum servaretur, ignotum; Rabbinæ ita rem tradunt. In fimo ad genua usque sepultus noxius, circumvolatã lineã aliquã longiori fasciã aded jugulum stringebatur, ut per diducti oris canale liquatum plumbum ad viscera transmissum ignem lethumque inferret. Sed in ipsis Libris suis historiam Rabbinæ narrant, qua ipsi per se mendacii convincuntur. Eleazarus refert de filia quadam Sacerdotis, quæ in pœnam com-

missi incesti igne damnata, congestis circum arborum ramis miserè combusta est, juxta Legis functionem (b). Verum quid opus est Rabbinos consuluisse, cum aperta suppetant Scripturæ exempla, tum & certã ex ea deductã conjecturã, quibus ignis supplicium idem fuisse apud Hebræos, quod apud Gentes alias demonstratur?

Judæi idololatrã filios suos in sacrificium Moloch offerentes, intra brachia Numinis torrendos tradebant, vel saltem in ulnis Numinis miseris illas victimas reponentes, inde verò in subiectum ignem decidere permittebant. Daniel ejusque socii in succensam fornacem jussu Nabuchodonosoris injecti sunt (i); & Abraham ex eodem supplicio prodigiosè liberatum narrant (k). Quicumque cum matre, vel filiã incestas nuptias contraxerit, ille unã cum conjuge ignis supplicio Moisaicã Lege damnatur (l): quod sanè ideam ingerit ignis, non quidem interiora depascens, sed ultricius flammis eriminosos adurentis. Septem fratres Machabej post flagra, post linguæ abscissionem, post capitis pellem detractam, tum & abscissis manuum pedumque extremitatibus, tandem in ollis, & fartiginibus succensis martyrium consummarunt (m). Fufius singula illorum tormentorum Josephus describens (c) narrat, priori quidem ex fratribus post flagella rotam quandam paratam, cui à carnificibus impositum, miserè toto corpore confractum fuisse. Sextum non abimile supplicium exercuit, à quo deinde depositus, ignis tormentum toleravit, candentibus laminis dorso applicatis, quibus viam sibi ad intestina adurenda aperientibus, vitæ tandem compages resoluta sunt. Nec tamen Tyranni furor deferbuit, cum & post obitum in ollam succensam injiceretur. Septimum ultro se in ardentem fartagine conciens interiit.

Hæc Scriptura, & Josephus de suppliciis strenuissimorum Martyrum, ex quo discernendi miseros ignis supplicio plures artes intelligimus. Quamquam cum omnis illius tragediæ unicus esset author Antiochus Epiphanes, ejusque satellites, non est sanè cur invidium ex ea argumentum pro Hebræorum moribus deducatur. Non ita tamen facillè nobis persuaderemus, Judæos in rebus in medio positis, à ceteris aliarum gentium usibus recessisse, ut sub iidem vocibus, puniendi nempe noxios ignis supplicio, aliud apud illos intelligeretur, quàm cætera per orbem Nationes designarent. Consuevisse Chaldæos criminosos quosdam in succensa fartagine torrere Jeremias insinuat (o): Ponat te Dominus sicut Sacerdotem, & sicut Achab, quos frixit Rex Babylonis in igne, eo quod mæchati sunt in uxores amicorum suorum.

Neque viva tantum hominum corpora cremabantur, sed cadavera etiam interdum, quod factum cum sexto fratre Machabeorum in ollam succensam post obitum injectum supra legimus. Sunt qui in pyra crematum Achan post lapidationem [p] tradiderint. Ossa Pseudo-Prophetarum à Josia super aram sacrilegam combusta sunt.

h Levit. 24. 9.

i Daniel. 3. 6. k Gen. 11. 31. & 2. Esdr. 9. 7.

l Levit. 20. 14.

m 2. Maccab. 7. 3. & c. n De Maccab. c. 9.

o Jerem. 29. 22. ascher Kalam melek basel basch.

p Josue 7. 25.

Au.